f. 149 **Gregorius Heimburg** in persona ducis Alberti tempore captivitatis Eyzinger ad universitatem Wiennensem. Eiusdem oratio pro Georgio duce Saxoniae cum Pii II responso. Eiusdem oratio pro Alberto duce Austriae cum Pii II responso. Oratio pro Sigismundo Austriae duce. Cf. Voigt, Enea Silvio, III, 17, 78, 79.

f. 164 **Jacobi Alvarotti** or. pro communitate Paduae ad Imp. Fridericum III a. 1452.

f. 167 **Bernardi Justiniani** Veneti oratio ad eundem a. 1451.

f. 173 Oratio oratoris civitatis Ratisponensis adveniente principe Bavariae (pro civitate sua).

f. 174 **Andreae Juliani** Veneti in Manuelem Chrysoloram or. funebris. f. 179 **Gasparini** Pergamensis ad Andr. Julianum epistola.

f. 180 **Leonardi Justiniani** or. in funere Caroli Zeno.

f. 185 **Guarini** Veron. epistola ad Albertum de Sala.

f. 186 Oratio habita Paduae in funere Jacobi de Forlivio medici.

f. 188 **Francisci de Zabarellis** oratio in ingressu episcopatus Paduani.

f. 189 **Odoardi Brogoguini** Estensis or. in funeribus almi patris Petri Columnae Picenum regentis. Cf. cod. 459 f. 94. f. 190^b Epistola anonymi (de rhetorica).

f. 192 **Galeatii** comitis or. ad Fridericum III. Cf. cod. 459, f. 85.

f. 193 In laudem Bambergae urbis oratio.

f. 194 Laudatio B. Hieronymi.

f. 196 Orationes scholasticae, in commendationem rectoris universitatis Hertindi de Lapide, in acceptione dignitatis etc. Primae auctor nominatur Gotfridus Lange.

f. 204 Ad D. Mantuanum marchionem oratio.

f. 204^b **Bessarionis** Cardinalis Tuscul. Bononiensis legati pro exhortatione novi Praetoris Florentini Boncambii de Boncambiis oratio cum huius responso.

f. 206 **Antonii Panormitae** ad Januenses contra Venetos in bellum exhortatio.

f. 207 **Nicolai Perotti** or. ad Fridericum III.

f. 210 **Leonardi Aretini** de temporibus suis libellus. f. 231 Eiusdem ad Thomam cambiatorem epistola. f. 234 De vita philosophorum, historicorum et poetarum quorundam, ex Laertio.

f. 235—256 Epistolae ab **Isota de Nogarolis** ad Italos datae et ad eandem sororemque Ginevram scriptae. Cf. de cod. nostro 'Isotae Nogarolae opera omnia ed. Abel. Vindob. 1886', vol. I, p. CLX.

f. 256 sq. Dominae **Baptistae Malatestae** or. coram Friderico III.

f. 257 sq. Oratio **Hippolitae Mariae** vicecomitis Mediol. habita coram Pio II a. 1459 Mantuae. Responsiva **Pii II** extemplo reddita.

f. 259 **Albertus de Eyb** ad Georgium de Absperg: an viro sapienti ducenda sit uxor. Ex Eystet a. 1460.

523 4°. oblong. s. XIII. 73 fol.

Fol. 1 **Virgilii** eclogae II. III. VI. VII. X, sed haec non integra. f. 4 Georgica. f. 28 Aeneidos libri I—X, sed cum multis lacunis. Georgicorum et Aeneidos libris praemissa sunt argumenta metrica, quae leguntur in Meyeri Anth. n. 836 et 862. Fol. 27ᵇ exstat fragmentum grammaticum sic incipiens: Quid est compositio, cum de duabus dicionibus fit sola dicio.

524 4°. s. XVI. 175 fol.

Hester comoedia sacra Alberto U. Bavariae Duci dicata. Inde a f. 157 germanice legitur: 'Verzaichnus des ganntzen Aufzugs der vorsteenden Comoedi'. Argumentum totius comoediae, item argumenta singulorum actuum germanicis versibus concepta sunt. f. 167 'Verzaichnus an was ortten sich yede parthey zum auf vnnd abzug finden soll lassen' (in München).

525 = 850.

526 4°. s. XV. 153 fol. liber H. Schedelii.

Fol. 6 Liber **Persii** poetae satirici cum vita et commento. Interiecta est f. 7 inscriptio latina, de qua cf. Rossi, Memorie dell'Instit. arch. II, p. 504.

f. 57 **Probae (Falconiae)** Alypii uxoris Cento aut de fabrica mundi. Cf. cod. 249. f. 77 **Hieronymi de Vallibus** Jesuida. Scripsit Jo. Motun (sic) in ciuitate Nordlingen a. 1472. Cf. cod. n. 424.

f. 96 **Johannis Aloysii** Tuscani epistola ad Paulum II P. Eiusdem carmen ad principes Christianos de capiendis in Turcas armis.

f. 112 **Georgii Flisci** Genuensis ad Ferdinandum Siciliae regem Euboidis libri II (de Negroponte insula sub Paulo II et Friderico III Imp. capta carmen epicum).

f. 130 **Aeneae Sylvii** in laudem Friderici III carmen. f. 136 Epitheta.

f. 142 Diffidentia inter Venetos et D. de Carraria. (Sunt uersus inuectiui ab utraque parte.)

f. 144 **Philelphi** in Poggium satyra.

f. 147 **Alani** carmen probans virgines et non mulieres ad matrimonium esse ducendas. Cf. Leys. p. 1092 sqq.
f. 143ᵃ. 145ᵇ—146. 150—153 Carmina minora, epitaphia (duo eorum v. Forschungen XI, 374), epigrammata recentiorum poetarum Italicorum.
f. 151 Inscriptiones medii aevi in civitatibus Roma et Capua. Cf. De Rossi, Inscriptiones christianae urbis Romae II, 1, 327.
Maiorem partem libri praeter f. 57—87 Schedelius ipse scripsit.

527 membr. et chart. 4⁰. s. XIII et XIV. 65 fol. liber H. Schedelii.

Fol. 1 Liber de causis. Ed. ex hoc cod. O. Bardenhewer, Die pseudo-aristotelische Schrift über das reine Gute, bekannt unter dem Namen Liber de causis. Freiburg 1882. f. 5 Liber de sensu et sensato.
f. 10 **Aristotelis** liber de unitate et uno.
f. 11ᵇ Eiusdem epist. de conservanda sanitate ad Alexandrum, Johanne Hispalensi interprete.
f. 13 De divisione scientiarum. f. 14ᵇ De speculis. f. 17 De proprietatibus elementorum. f. 23 Liber de articulis fidei.
f. 36 **Albandini** liber de physica signorum et supernascentium et aegrotantium.
f. 42 **Avicenna** de generatione embryonis fen 21, script. 1347. f. 50 Disputata circa hunc Avicennae tractatum et librum meteorum Aristotelis per Magistrum **Berchtoldum**, licentiatum Parisiis in artibus, Bononiae in medicina, a. 1347.
f. 64ᵇ Figura anatomica capitis humani.

528 4⁰. a. 1497. 209 fol. ab H. Schedelio scriptus.

Fol. 3 **Berosi** Chaldaei historiarum regum Babyloniae deflorationes.
f. 24 Additiones **Manethonis** ad Berosum. f. 28 Epithetum **Archilochi** de temporibus. f. 30 **Metasthenes** (Megasthenes) Persa de iudicio temporum et annalium Persarum. Impressi sunt hi quattuor libelli subditicii in libro sic inscripto: Historia antiqua. Accessit censura Gasp. Varrerii in Berosum. Ex bibliopolio Commeliniano 1599 p. 9—30.
f. 35 **Rufi Sexti** de populi Romani rebus gestis libellus.
f. 52 **Pomponii Laeti** historiae romanae epitome ab interitu Joviani usque ad obitum Heraclii.
f. 84 Descriptio Romae temporibus Constantini et praecedentium imperatorum.
f. 106 Mensium descriptio.
f. 116 **Nicolai Burtii** Parmensis Bononia illustrata, item eiusdem carmina atque epigrammata (ex libro impresso Bononiae 1494).
. 165 **C. P. Amalthei** epicedium in obitu Friderici III ad Maximilianum Rom. regem.
f. 175—207 Epitaphia varia et carmina minora cum anony-

morum, tum Friderici Moermanni Emedensis, Rudolphi Langii ecclesiae Monasteriensis canonici, Bartholomaei Coloniensis, Aeneae Silvii, Theodori Ulsenii (f. 178—181 Centimetrum in praeconium Switberti antistitis).

f. 208 Lumen vitae, i. e. sententiae antiquorum a Th. Ulsenio Ud. Pyndaro archiatro missae.

529 4⁰. s. XV. 184 fol. liber H. Schedelii.

Fol. 6 **Roberti de S. Remigio** de prima in terram sanctam expeditione libri VIII. Cf. Potthast p. 516.

f. 104 (**Laurentii Blumenau** ad Leonardum Gessel vicarium Augustanum) Historia ordinis B. M. Teutonicorum Hieros. in Prusia eorumque regimen et gesta. Adiecta est epistola dedicatoria auctoris autographa, data Dillingen a. 1457. Ex hoc codice historiam et epistolam ed. Töppen in Script. rer. Prussic. IV, 44—67. Sequentia inde a f. 152 Schedelius ipse scripsit.

f. 152 Caroli IV bulla aurea.

f. 173 De civitate Augusta (i. e. 'Excerpta ex Gallica historia'); cf. Die Chroniken der deutschen Städte, Augsburg, I, p. XXXVII.

f. 176 De Jacobo magistro templariorum (ex Joa. Boccatii de casibus illustr. vir. lib. IX cap. XXI). f. 181 Sententiae excerptae. f. 183 Ex Senecae lib. de tranquillitate animae.

530 4⁰. s. XVI. 38 fol.

Valentini Cratoaldi Silesii de diiudicatione corporis et sanguinis Christi libellus a. 1529.

531 4⁰. s. XVI. 49 fol.

Elisaeus, tragoedia.

532 4⁰. s. XVI. 32 fol.

Damascenus, tragoedia.

533 4⁰. oblong. s. XV. 127 fol. ab Hartm. Schedelio scriptus.

Liber annalis i. e. Calendaria ab a. 1467 ad 1482 cum notis chronicis. Cf. n. 624.

534 membr. 4⁰. s. XIV. 75 fol.

Fol. 1 **Alfraganus** de differentiis XXX. Est eius liber de aggregationibus scientiae stellarum.

f. 12ᵇ Tractatus de astronomia.

f. 16ᵇ **Messahalae** liber de motu orbis et naturae (sic). Cf. n. 234.

f. 25ᵇ (**Roberti?**) **Linconiensis** tractatus de fractionibus et reflexionibus radiorum.

f. 26ᵇ **Phillonii** liber de spiritualibus ingeniis; cum figuris delineatis.

f. 29ᵇ Tractatus de diversis generibus ponderum (i. e. Schwerkraft).

f. 33 **Procli** elementatio theologica, Gerardo Guilelmo de Morbecka interprete.
f. 36 Cautelae algorismorum.
f. 38 Notabilia sumpta de libro Galeni de virtutibus medicinarum simplicium.
f. 42ᵇ **Joh. Paulini** 'Salus vitae'.
f. 43 Supra libellum de mala conditione diversa dubitata secundum Mag. Bernardum de Hangarra Cancellarium Montispessolanum.
f. 44ᵇ De aphorismis Hippocratis.
f. 51 Notabilia excerpta de Aristotelis libris animalium.
f. 73ᵇ Excerpta ex Alberti M. libro de mineralibus. f. 75 Experimenta fratris etc. medici de Polonia qui fuit in Montepessolano.

535 4⁰. s. XV. 58 fol.

Documenta et litterae variae ad episcopatum Frisingensem pertinentia, inter quae complura germanice. f. 5—11 Notae distributionum et redituum. Sub finem inde a f. 48 excerpta ex chron. Ottonis Frisingensis.

536 membr. 4⁰. a. 1143—47. 137 fol. liber H. Schedelii, pridem monasterii in Prül.

Fol. 1 **Honorii** inclusi (Augustodunensis) liber de imagine mundi. Cf. Mon. Germ. Scriptt. X, p. 125 sqq. f. 1 St. Viti (patroni monasterii in Prül) et Wernheri abbatis (Prülensis, 1143—1147) imagines delineatae.
f. 52 Tria sunt genera verecundie. S. XIII.
f. 53 Series pontificum Romanorum a Petro usque ad Lucium (1144).
f. 57 **Senecae** et **Pauli** epistolae.
f. 60 Excerpta ex SS. Augustino, Hieronymo, Isidoro et Ambrosio.
f. 66 Liber bestiarum et uolucrum (Physiologus).
f. 81 De VII mundi miraculis. f. 82 De Christo.
f. 82ᵇ De XII lapidibus, germanice. Cf. Germania VIII, 300.
f. 84 Excerpta varia, incantatio paronychiae s. Wurmsegen (germanice), cf. Sitzungsber. der bayer. Akad. 1867, II, p. 17, f. 84ᵇ de cruce Christi, f. 85 Calixtus de matrimonio. f. 85ᵇ de monachis, f. 86 de herbis medicinalibus (germanice), cf. Germ. l. c. p. 300, f. 88 de Judaeo et imagine Christi, f. 89ᵇ Formula de furto deprehendendo (Diebesbann) germanice. Cf. Germ. l. c. p. 303.
f. 90 Nomina Ratisbonae civitatis. Hoc usus esse videtur Schedel in suo chron. univers. (1493) f. 97.
f. 90 Tabula ordinum ecclesiasticorum.
f. 90ᵇ Visio Wettini monachi. Cf. Potthast p. 565. f. 100 Visio cuiusdam mulieris. Inc. 'Fuit namque in laudonico pago'.

f. 102 Othlonis liber proverbiorum. Cf. Migne, Patrol. t. 146, p. 299.
f. 136ᵇ Historia brevis S. Viti et versus praecedentes cum neumis.

538 4⁰. s. XV. 59 fol. cum figuris pictis. Ex libris J. A. Widmestadii.

Fol. 1 **Jacobus de Cessolis** de ludo scacchorum. Ed. Vetter, Das Schachzabelbuch Kunrats v. Ammenhausen nebst den Schachzabelbüchern des Jakob v. Cessole u. des Jakob Mennel; Bibl. älterer Schriftwerke der deutschen Schweiz, Ergänzungsband 1887.
f. 56 **Bernardus** de re familiari gubernanda ad Raimundum.

539 4⁰. s. XV. 241 fol.

Varia notata et excerpta medica, inter quae f. 1 et 20 brevissima descriptio complurium balnearum.

540ᴬ membr. 4⁰. a. 1298. 107 fol. liber H. Schedelii.

Alberti Magni libri V mineralium. f. 107 Rythmi contra feminas. 'Uxor adultera'. Adiacent quinque membranae alia manu scriptae, in quibus insunt (**S. Thomae**) tractatus de motu cordis et **Avicennae** tract. de mineralibus.

540ᴮ membr. 4⁰. s. XIII. 43 fol. liber H. Schedelii, qui pro eo Cartusiensibus in Prül 1487 dedit librum theologiae.

Commentarius in Platonis Timaeum a Chalcidio translatum.

541 4⁰. s. XVI. 155 fol.

Fol. 1 Geomantia **Gerardi Cremonensis.** f. 73 **Guidonis Bononiensis** geomantia.

542 membr. 4⁰. s. XIV. 16 fol.

Fol. 1 Ordo ad inungendum infirmum. f. 12ᵇ Ordo in depositione defuncti. f. 16 Forma absolutionis a concilio Basileensi data.

543 4⁰. a. 1575. 31 fol.

Loca stellarum fixarum omnium quas Ptolemaeus ad 48 imagines reduxit, iussu Alberti V Bav. ducis ad annum 1575 iuxta methodum neotericorum ac potissimum Nicolai Copernici constituta et rectificata ab **Henrico Arboreo.** Praecedunt dedicatio et duo carmina elegiaca.

544 4⁰. s. XV. 223 fol.

Fol. 1 **Humberti** ord. praed. Sermones ad omnem statum hominum. f. 105ᵇ Eiusd. tractatus VII dierum. f. 124ᵇ Eiusd. epistola de tribus substantialibus ordinis et de quibusdam virtutibus. Sequuntur f. 145ᵇ contiones.
f. 151ᵇ Libellus caritatis.
f. 161ᵇ **Joannis Gerson** tractatus de probatione spirituum.
f. 171 Eiusdem tractatus de remediis contra reciduum peccandi a confessoribus dandis.

f. 176 Directorium ad diligenter et fideliter confitendum peccata.
f. 206 Summa contra haereticos, Judaeos et paganos. Inc. 'Dicunt quidam heretici sacramentum baptismi nullam habere efficaciam nec in paruulis nec in adultis'.

545 4°. s. XVI. 41 fol.

Genealogia Bavariae ducum a Carolo M. deducta usque ad Maximilianum Guilelmi V filium.

546 4°. s. XVI. 72 fol.

Formulae loquendi ex Terentii comoediis Heautontimorumeno, Adelphis, Hecyra, latine et germanice.

547 4°. s. XVI. 255 fol.

Fol. 1 Tractatus geomantiae, per 228 capita deductus.
f. 173 Alterius anonymi geomantia (alia manu scripta).

548 4°. s. XVI. 42 fol.

Ex Ecclesiaste, libro Sapientiae et Ecclesiastico selectae sententiae cum versione germanica. Est liber scholaris, ut videtur, principis cuiusdam Bavarici.

549 4°. s. XVI. 51 fol.

Drama de Godefrido Bullonio.

550 4°. a. 1565. 37 fol.

Introductio ad poenitentiam et confessionem, item de sacramento eucharistiae. Liber manu **Guilelmi V** Bavariae ducis exaratus.

551 4°. s. XVI. 22 fol.

Calendarii species in formam calendarii romani emendati.

552 4°. s. XVI. 88 fol.

(**Casparis Contareni**) de Venetorum magistratibus et republica libri V. Adiecta est f. 85 sqq. brevis descriptio 'Depictae historiae de restitutione Alexandri III pontificis', quae exstat in comitio Venetorum.

553 4°. a. 1591. 226 fol.

Sententiae et lectiones ex Xenophonte, ad institutionem Maximiliani ducis Bav. a patre soc. Jesu conscriptae.

554 4°. s. XVI. 34 fol.

Maximiliani Ducis Bav. exercitia scolastica tam metrica quam prosaica.

555 4°. s. XVI. 73 fol.

Theses arithmeticae, physicae et geometricae ad usum Maximiliani I ducis Bav. conscriptae.

556 4°. s. XVI. 73 fol.

Epistolarum specimina a Maximiliano duce Bav. a. 1583 facta aliaeque exercitationes scholasticae.

557 4°. a. 1585. 110 fol.

Eiusdem scriptiones scholasticae, ex maiore parte germanicae.

558 4°. s. XVI. 74 fol.

Wilhelmi Bav. Ducis epistolae variae annis 1563—65 scriptae.

559 4°. s. XVI. 74 fol.

Annotationes in M. T. Ciceronis librum 'Cato maior' sive de Senectute.

560 (= Cim. 31) membr. 4°. s. XI. 150 fol. liber H. Schedelii.

Fol. I—VII Schedelii excerpta ex eximio codice **Firmici Materni** (cf. Sittl, Wölfflins Archiv 1887, p. 611).

f. 1ª Tabula astrologica.

f. 1ᵇ—14 'Astrolapsus'. Est idem liber, quem Pezius in Thes. anecdot. III, 2, 109 sub nomine **Hermanni Contracti** ex cod. Salisburgensi hoc titulo edidit: 'De utilitatibus astrolabii libri II'. Sed est haec inscriptio capitis primi. Noster codex non habet nisi librum I. Cf. cod. lat. n. 14689, f. 71 sqq.

f. 14ᵇ De orolio (i. e. orologio) secundum Alchoram i. e. sphaeram rotundam, in primis de horis diei. Inc.: 'Quando scire quaeris de horis diei pone gradum solis subter circulum mediae terrae'.

f. 20 **Julii Firmici Materni** Junioris Siculi matheseos lib. I—II cap. 31 in p. 38 ed. Basil. 1551.

f. 61 Opus astrologicum sic incipiens: 'Luna est frigidae naturae et argentei coloris. Mercurius naturae siccae, coloris plumbei, Venus naturae tepidae, coloris stagnei'.

f. 87ᵇ—88ᵇ Hymni cum neumis 'Benedicamus flori orto', cf. cod. lat. 21235 in ultimo fol.; 'In laudibus infantium' etc.

f. 89 Incipit praefatio astronomiae uel astrologiae auctoritate cuiusdam **Arati** expositae. 'Arati ea quae uidentur ostensionem quoque de quibus uidentur oportet fieri ad austrum ex aduerso habens septentrionem . a dextris orientem . a sinistris occidentem . . . Quidam autem agiunt (aiunt) et hoc postea repositum ab eodem praenominato antigono imperatore'. Tum sequitur duabus paginis vacuis relictis: 'Alia descriptio praefationis. Subtus terra firmantur signa sex — ipsa enim in medio iacet duobus semisperiis'.

f. 97 Arati genus. Est versio vitae Graecae, quae exstat in ed. Buhlii II, p. 444.

f. 98—121 Scholia in Arati Phaenomena; cf. vol. II, 33 sqq. ed. Buhl.

f. 122—128 Liber artis geometricae primus. Cf. Gromat. ed. Lachmann I, p. 393—406.

f. 129—149 **Anicii Manilii Seuerini Boetii** geometricorum elementorum ab Euclide translatorum libri. Cf. de hac codicis parte Blume et Lachmann in Grom. lat. II, p. 67. 83 sq.

86. 89; Heiberg, Beiträge z. Gesch. d. Mathematik im M. A., Zeitschrift f. Mathematik u. Physik, XXXV, 50 sq.
f. 149ᵇ—150 Descriptio ciuitatum et regionum ad septentrionalem plagam danubii. Post alios ediderunt Schafarik in Antiquitt. slav. p. 980; v. Keltsch in Altpreuss. Monatsschrift N. F. XXIII, 506. Reproductionem reperies apud Th. Schiemann, Russland, Polen u. Livland. I (1886), ad pag. 29.

561 membr. 4⁰. s. XIII. 143 fol.

Priscianus minor cum expositione **Johannis**.

562 4⁰. s. XVI. 36 fol.

Fol. 1 Argumenta et artificia rhetorica orationum Ciceronis pro M. Marcello, rege Deiotaro, Q. Ligario, S. Roscio Amerino, Archia poeta, lege Manilia.
f. 28 Underricht der Arithmeticen (sic). f. 29a Münzeinteilungen, Gewicht, Maasse verschiedener Waaren.
f. 30 Argumenta in X eclogas Virgilii.

563 4⁰. s. XV. 147 fol.

Fol. 1 Liber de septem sapientibus script. per Johann. Klopffinger de Salma 1458. Cf. Goedeke Grundriss I², 348—351.
f. 78ᵇ—83 et f. 84ᵇ—86 Epitaphium Sigismundi Imp. Opusculum contra canciones adversum regem Albertum confictas. Invectiva contra Polonos. Contra Rockiczanam, qui composuit canciones contra Albertum. Exhortatio ad Bohemos ut diligant Albertum. Commendatur in multis rex Albertus. Commendatio consilii 4 curiae. Ut Bohemi sint fideles Alberto. Qualis debeat esse electio regis. Reprobatio erroris Hussitarum de sumptione sacramenti eucharistiae. De Hungaria. Commendatio regis Alberti. Epit. eiusdem. Epit. Elizabet reginae. Planctus super morte Wladislai regis Poloniae. Descriptio belli. Mali consiliarii. Excusatio metristae. Fecit, ut est in subscriptione '**Nicolaus Petschacher** Johannes (sic) Sigismundi de Znoyma a. 1445'.
f. 83ᵇ—84 **Conradi Schatz**, civis Constantiensis, epigrammata XV de Adam, Eva, Sampson etc.
f. 87 (**Walteri Burley**) libellus de vita et moribus veterum philosophorum.
f. 129 Moralia ex variis.
f. 143ᵇ Ex historia troiana.

564 membr. 4⁰. s. XII. 126 fol. cum figuris.

Fol. 1 **Willelmi de Conchis** philosophiae libri IV. f. 32 Eiusdem philosophia secunda.

565 4°. a. 1279—1280. 71 fol.

Fol. 1 **Johannis Leumovicensis** (alias: de Launha) summula de dictamine.
f. 14ᵇ **Gaufredi** Summula de arte dictatoria.
f. 21 **Alani** carmen de planctu naturae. f. 28 Eiusdem contra amorem Veneris carmen. Non est integrum. Cf. Leys. p. 1092.
f. 29 (hoc fol. est saec. XIV) De arte dictandi.
f. 30 **Philippi** (recte **Ludolfi**) canonici **Hildeshemensis** Summa dictaminis. Rockinger in editione Ludolfi (Quellen und Erörterungen IX, 359 sq.) hoc codice non est usus.
f. 44 De coloribus rhetoricis.
f. 48 **Johannis Leumovicensis** libellus epistolarum 20 ad Theobaldum Novarrae regem.
f. 60 Boetii libri de consolatione philosophiae. Non sunt integri.
Scripsit totum fere codicem Otto de Pesing.

566 4°. s. XV. 218 fol.

(**Hermanni**) **Contracti** sermones de Sanctis. Occurrunt eidem in cod. 5853, ubi distincte Hermannus Contractus dicitur; sed in cod. 7427 nominatur Johannes Contractus ord. min., in cod. 3420 et 16014 simpliciter Contractus.

567 membr. 4°. s. XIV. 87 fol. liber H. Schedelii.

Johannis Jamati Chirurgia, quae dicitur thesaurus secretorum.

568 membr. 4°. a. 1461. 62 fol.

L. Flori abbreviatio T. Livii.
Scripsit Joh. Franciscus (in Italia).

569 4°. s. XV. 210 fol. liber H. Schedelii.

Fol. 3—152 Libri quatuor gestorum Karoli Magni. Sunt autem f. 4—27 **Einhardi** vita Karoli M. f. 27—100 Annales **Einhardi** (a. 741—829). f. 101—152 **Monachi** Sangallensis de gestis Karoli Imp. libri duo. Cf. n. 17736 et Pertz Arch. II, 87—91.
f. 154 De investitura et inthronizatione episcoporum et aliorum per Reges et Imperatores (ann. 1109). Inc.: 'Leo Constantini filius'. Ed. inter alios Goldast, Apologiae pro Henrico IV. p. 226 sqq. Cf. Bernheim, Ueber den Traktat De investitura episcoporum in Forschungen XVI, 281—295.
f. 163 **Hippocratis** epistola ad Damagetum de insania Democriti alias de risu.
f. 175 Epigrammata duo recentiora.
f. 177 Episodia sodalitatis litterariae Danubianae ad Conr. Celtem, dum a Norico Gymnasio ad Viennam Pannoniae concesserat. Haec 18 carmina numeris elegiacis hi composuerunt: Joa. Graccus Pierius, Augustinus Olomocensis, Jul. Milius, Joa. Cuspinianus, Andr. Stiborius, Joa. Stabius,

Christoferus de Wait, Sturlinius Smalcald., Hier. Balbus, Barth. Scipio, Joa. Slechea, Ge. Neydecker, Erasmus Pinifer, Joa. Tolophus, Theodericus Ulsenius, Henr. Cuspidius, duo Bonomi. Ed. Lippert, Von gelehrten Gesellschaften in Baiern, Anh. p. 32 (Abhdlg. d. b. Ak. d. W. 1763, I).

f. 180ᵇ Tria epigrammata Celtis et Ulsenii.

f. 181 **Sixti Tucher** ad Hieronymum epistola.

f. 182 De introitu peregrinorum in terram sanctam.

f. 184 Fratris B(urchardi) de Monte Sion ad fratrem Burchardum ord. praed. lectorem in Magdeburg descriptio locorum terrae sanctae. Cf. Tobler, Bibliographia geogr. Palaestinae, p. 27 sqq.

Scripsit codicem exceptis f. 184 sqq. Hartm. Schedel 1498.

570 membr. 4⁰. s. XIII et XIV. 74 fol. liber H. Schedelii.

Fol. 1 Tractatus de morbo lapidis. Inc. Galienus in tertio tractatu secundi libri epidemiarum inquid.

f. 7ᵇ **Avicenna** de calculo.

f. 43 **Arnoldus de Villanova** ad regem Aragonum de regimine sanitatis. Cf. Häser, Gesch. d. Medizin, I, 720.

f. 57 Trotula de mulieribus, cf. Häser l. c. 663; f. 67 de urina.

f. 71ᵇ **Johannis** mag. de Goetinge (medici imp. Ludovici Bavari) uerba de calculo.

f. 73 Consilia medica.

571 4⁰. a. 1564. 41 fol.

Locutiones ex Cicerone et Julio Caesare collectae (secundum ordinem alphabeti) cum interpretatione germanica.

572 membr. et chart. 4⁰. a. 1432 et 1433. 97 fol. cum figg. mathem.

Fol. 1 **Messahali** astrolabium.

f. 29 De Turketo (instrumento).

f. 33 De cylindro, qui horologium dicitur.

f. 37 De quadrante novo. Inc. 'Geometriae duae sunt partes theorica et practica'. Cf. Clm. 10661.

f. 47 Tabulae solis. f. 49ᵇ Quadrans **Profacii** Judaei de Monte pessulano.

f. 60 Instrumentum directionum. f. 65 Practica exemplaris eclipsis lunae, f. 77 item solis. f. 88 Tractatus brevis de eclipsibus solis et lunae in usum studentium 'Wyenne'.

Totum codicem scripsit Ratisbonae mag. Ulricus Mückel physicus civitatis, de quo cf. Reg. Boic. XIII, 71.

573 4⁰. s. XVI. 214 fol.

Constantinus Magnus, drama Alberto Bav. principi dedicatum.

574 et **575** 4⁰. s. XVI. 42 et 50 fol.

Regnum humanitatis, dialogus sive drama Ingolstadii a. 1587

exhibitum et Maximiliano Duci dedicatum. De humanitatis regno comoedia altera, ibidem exhibita a. 1590.

576 4°. a. 1521. 166 fol.

Ulrici Zasii in Ciceronis Rhetoricorum ad Herennium libros I et II scholia.

577 4°. a. 1461. 117 fol.

Fol. 1 Casus excommunicationis.
f. 6 Casus summarii VI libri decretalium.
f. 38 Bullae Nicolai V (1440), Benedicti XII, Johannis XXII, Pauli II.
f. 61 Avisationes et modi vacandi beneficiorum secundum ius can. et stilum Romanae curiae.
f. 70 Pauli II bulla de casibus reservatis. f. 71 Eugenii IV bulla de privilegio curialium. f. 72 Martini bulla.
f. 73 **Bernhardi** sermo de passione domini et dolore matris eius.
f. 82 **Cicero** de proprietatibus terminorum. f. 87 Eiusdem Synonyma cum epist. ad L. Veturium. f. 103 Differentiae Ciceronis.

578 4°. s. XVI. 47 fol.

Plauti Pseudolus, exhibita Ingolstadii a. 1589.

579 4°. s. XVI. 192 fol. ex bibliotheca J. A. Widmestadii.

Lectiones in titulum III libri XXIV Digest. 'Soluto matrimonio'. Sunt lectiones **D. Stellae**, ut apparet ex cod. 600, eadem manu scripto.

580 4°. s. XVI. 16 fol.

Lud. Helmboldii Molhusini ad Joa. Jac. Fuggerum carmina. f. 2 Autumnalis Baccalaureorum promotio, Erphordiae habita a. 1556.

581. 582. 583 4°. s. XVI. 42, 51 et 68 fol.

S. Brigitta, S. Franciscus, S. Catharina dramata.

584 membr. 4°. s. XII. 27 fol.

Psalterium David (codex mutilatus est).

585 membr. 4°. s. XIV. I et 201 fol.

Fol. I Isti sunt repellendi a communione in cena domini.
f. 1 Summula confessorum de Summa **Johannis (Friburgensis)** maiore compendiata per fratrem **Marquardum Thoder.**
f. 200 Casus episcopo specialiter reseruati. **Johannis de Lignano** quaestiones de horis canonicis.

586 4°. a. 1561. 34 fol.

Mich. Nostradami Salonensis physici prognosticon anni 1561. Transtulit e Gallico Augustinus Güntzer. Additum est hoc opus impressum: 'Kalender gestelt durch M. Hieremiam Brotbeihel auff das Jar MDLXI', in quod Aug. Güntzer inscripsit Nostradami in singulos dies praedictiones.

587 4°. s. XV. 45 fol.

Fol. 1 **Hieronymi** ordo vivendi (alias regula monacharum).
f. 19 Alphabetum narrationum. A tantum litteram complectitur.
f. 31 Hieronymi psalterium.
f. 36 **Philiberti Francigenae** eremitae visio. Sunt animae ac corporis alterna colloquia rhythmis italicis.
f. 44 **Eugenii IV** declarationes quorundam casuum datae Florentiae a. 1439 ad petitionem fratris Nicolai de Arsino et Francisci de Primadiciis de Bononia ord. min.

588 membr. 4°. s. XIV. 239 fol.

Fol. 2 Tabulae coniunctionis solis et lunae annorum 1340—1365.
f. 6 **Gilberti** (Guilelmi?) **de Morbeca** Geomantia. Cf. cod. n. 905.
f. 58ᵇ Geomantia.
f. 87ᵇ Elucidatio de vero motu planetarum super Almanach.
f. 93 **Wilhelmi Anglici** tractatus astrologicus de urina non visa.
f. 96ᵇ (**Profacii Judaei?**) operatio quadrantis.
f. 100ᵇ Ex libro novem iudicum.
f. 112ᵇ **Roberti Linconiensis** tractatus de cometis.
f. 113ᵇ Tractatus **Haly** de subradiis planetarum. Est idem qui in cod. 228 f. 263ᵇ.
f. 115 Elucidatio theoricae planetarum.
f. 120ᵇ Tabula declinationis gradus zodiaci ab aequinoctiali.
f. 122 Algorismus.
f. 131 **Profatii** compositio novi quadrantis.
f. 137 (**Messahalus?**) de utilitate astrolabii et de gnomonis officio in astrolabio constituti.
f. 142 **Lupoldus** (Leopoldus dux Austriae) de iudiciis astrorum. Inc. Questiones sunt equales. Sunt tertius et sqq. tractatus ex Leupoldi ducatus Austrie filii compilatione de astror. scientia, impress. 1489 Augustae, f. 17—93: salutem nauis et nauigantium.
f. 184 **Messahalae** libellus interpretationum. Cf. cod. 228 f. 267.
f. 189 **Thebites** de iudiciis. f. 220 Liber iudicialis Ptolomei.
f. 233 Libellus de iudiciis. f. 238 Modus iudicandi.

589 4°. a. 1478. 23 fol.

Fol. 1 Magistri **Jodoci** Regulae physionomiae.
f. 12ᵇ Tabula seu practica chiromantiae.
f. 16ᵇ **Pallantis Spangel** quaestio curialis de bursa Judae.
f. 17ᵇ Dialogi: Lollius, Theoderus; Bila, Aristancus; Bila, Episcopus, Aristancus.
f. 19ᵇ **Henrici de Hassia** regulae ad cognoscendum differentiam inter peccatum mortale et veniale.
f. 23ᵇ Quattuor disticha sermone latino et germanico.

590 4°. s. XVI. 29 fol.

Plauti Menaechmei.

591 4°. s. XVI. 30 fol.

Παιδεία sive institutio Euphronii, drama.

592 membr. 4°. s. XIV. 61 fol.

Fol. 1 (**Alberti M.**) Biblia Mariae Virg.
f. 43[b] **S. Augustinus** de spiritu et anima.

593 4°. a. 1507. 204 fol. Scripsit H. Schedelius.

Hartmanni Schedel collectanea ad historiam Thuringorum:
Fol. 2 Chronica Thuringorum (usque ad a. 1426). Cf. Struve I, 1296 et Zeitschrift d. Vereins f. thüring. Geschichte IV, p. 115 sq.
f. 105 Carmen de S. Elisabeth cum eius imagine.
f. 106 Situs Thuringiae (ex Bartholomaei Anglici libro de proprietatibus rerum XV, 166).
f. 107 Descriptio Erffordiae; ex H. Schedelii chron. univers. 1493, f. 155, 156.
f. 111 De Thuringia (ex Aeneae Silvii historia Europae).
f. 113 Collecta ex Chronica Montis S. Petri Erffordiae (706—1352), apud Mencken, Script. III, 201.
f. 164 Excerpta de libris historiarum in monasterio Reinhartzbornensi a. 530—1337. Ed. ex hoc cod. C. Wenck, Die Entstehung d. Reinhardsbrunner Geschichtsbücher (1878), p. 85—115.
f. 204 Über den zug von den doringen und von den mysnern in das lant zu beheme (a. 1426). Cf. de toto codice Pertz Archiv II, 84 sqq. Ruland in Serapeo XVI, p. 272, Wattenbach, Forschungen XI, 373, Posse, Die Reinhardsbrunner Geschichtsbücher (1872), p. 15 sq.

594 membr. 4°. s. XIII—XV. 96 fol.

Fol. 1 **Ovidii** Fastorum libri VI.
f. 62[b] Calendarium usque ad mensem Junium.
f. 71 s. XIV—XV **Gaufredi Anglici** poetria nova; cf. ad n. 237 f. 15.

595 4°. s. XVI. 6 fol.

Geomantia optima.

597 membr. 4°. s. XIV. 20 fol.

Claudianus de raptu Proserpinae cum scholiis.

598 4°. s. XVI. 29 fol.

Compendium dialecticae. Scripsit librum **Wilhelmus Dux Bavariae.**

599 4°. s. XVI. 40 fol.

Fol. 1 Notationes seu animadversiones rhetorici artificii in Ciceronis oratione pro lege Manilia. f. 15 Analysis in Oratorem ad Brutum.

600 4°. s. XVI. 141 fol.

D. Stella in quasdam iuris civilis romani rubricas. Sunt lectiones; cf. cod. 579.

601 4⁰. s. X. 82 fol. liber H. Schedelii.

Fol. 1 De Dicty Cretensi.
f. 2 **Daretis Phrygii** historia Troianorum.
f. 19 **Iustini** epitoma historiarum Pompei Trogi. Sunt libri I (inde a cap. 4, 11). II. XLIII. XLIV. XI. XII (inde a cap. 3, 2). XIII (primum cap.). XVIII (usque ad cap. 6, 10), fusius descripti a Fr. Ruehl, Textesquellen. Cf. editionem Iust. epit. Lipsiae 1886.
f. 59—66 Vocabularium graeco-latinum, cum prima parte sententiarum et epistularum Hadriani; f. 67—82 Dosithei Grammatica: utrumque descriptum ex cod. S. Gallensi 902; cf. G. Loewe, Prodromus corp. gloss. p. 207—209, et H. Keil, Grammatici latini VII, 366—369.
f. 70 Locutiones et uaria grammatica. Inc. 'Venit mihi in mentem huius rei. Pudet me amoris'. Addita sunt in marg. excerpta orthographica ex Capro, Agroetio, Beda.

602 4⁰. s. XVI. 25 fol.

Fol. 1 Utrum mathematici et dierum naturalium observatores sint haeretici censendi. f. 14 Utrum divinatio de futuris per astra sit licita (illicita?) et superstitiosa.

603 4⁰. s. XVI. 40 fol.

Catharina, tragoedia.

605 4⁰. a. 1570. 16 fol.

Martini Pistorii Pabenbergensis ad Wilhelmum Bav. Ducem elegia de festo nativitatis Christi. f. 16 Eiusdem votum in novi anni auspicium.

606 4⁰. s. XVI. 41 fol.

Catharina, tragoedia (non eadem quae supra n. 603).

608 4⁰. s. XVI. 124 fol.

Argumenta quatuor librorum Rhetorices ad Herennium et notata ex iis. Est liber manu Wilhelmi V ducis Bavariae scriptus.

609 4⁰. s. XV. 108 fol.

Fol. 1 **Waltheri** (Pseudo-Aesopi) fabulae metro elegiaco cum scholiis. Incipit: 'Ut iuuet et prosit conatur pagina praesens'. Cf. Hervieux, Les fabulistes latins I, p. 514.
f. 65 **Aviani** fabulae cum scholiis.

610 4⁰. a. 1438. 96 fol.

Geberi Summa alchimiae. f. 96 Notizen über eine Reise von Nürnberg nach Aachen s. XV.

611. 612. 613 4⁰. s. XVI. 59, 45, 58 fol.

Hercules in bivio, Catharina, Josephus Aegyptius, dramata.

614 4⁰. s. XIII. 32 fol.

Fol. 2 **Hippocrates** de vulneribus capitis, item de cancris et fistulis. Praecedunt in f. 1 aliquot recepta medica.

f. 10 Fragmentum germanicum sic incipiens: Ain crut hayset ysencrut das ist fur månig gůt etc.
f. 11 **Aemilius Macer** de viribus herbarum.
f. 31 **Hippocratis** regimen breve ad Antigonum regem. Versus leonini de Parcis. Versus de nominibus avium, ferarum etc. cum interpretatione germanica. Inc. 'Hic volucres celi referam sermone fideli'. Cf. Zeitschr. f. d. Alterth. v. Haupt IX, 390.

615 membr. miscell. 4°. s. XIII et XIV. 127 fol. Liber H. Schedelii a. 1466.

Fol. 1 **Aristotelis** secretum secretorum ad Alexandrum, Johanne Patricii filio interprete.
f. 41 **Petri Hispani** regimen sanitatis.
f. 68[b] Herbarum nomina latina, item barbara quaedam (i. e. polonica). Cf. Conr. Hofmann in Sitzungsber. der k. b. Akad. 1867, II, p. 160, ubi idem vir doctus codicem totum accuratius descripsit.
f. 73[b] Signa morientium. f. 74 De phlebotomia.
f. 75 De effectibus planetarum. f. 83 Alius tractatus similis materiae.
f. 88 De insertione arborum et earum fructibus **Palladii** liber breuiatus per Godefridum.
f. 103 **Amati** filii Abraham de variis arcanis epistola. Cf. Hofmann l. c. p. 171 et Serapeum 1870, p. 297.
f. 109 Liber 'circa instans'. Cf. cod. n. 325 f. 1.
f. 119 Nomina herbarum medicinalium latine et germanice. f. 124 Morborum nomina cum brevi explicatione. f. 125 Nomina herbarum, corticum, florum, lignorum etc.
f. 127 Exorcismus versibus germanicis sive 'Nachtsegen'. Cf. Sitzungsber. der k. b. Akad. 1867, II, p. 1 sqq. et p. 159 sqq.

616 4°. a. 1560. V et 268 fol. cum 5 picturis.

F. 1 **Georgii Agricolae Hammonii** Ingolstadiensis Itinerarium B. V. Mariae, cum ob saevitiam Herodis cum puero Jesu in Aegyptum secederet, Alberto duci Bavar. dedicat. Impressum est a. 1560 Ingolstadii.
f. 267 **S. Ignatii** ad B. Mariam et ad Johannem epistolae cum Mariae responso.

617 4°. a. 1521. 38 fol.

Joannes de Bonacicana de consideratione quintae essentiae omnium rerum transmutabilium.

618 membr. 4°. s. XII—XIII. 46 fol. liber H. Schedelii.

Fol. 1 **Bonithonis (Bonizonis) Sutriensis** episcopi liber ad amicum. Post Oefelium ex codice unico accuratius edid. Jaffé, Bibl. R. Germ. II, 603, Dümmler, Mon. Germ. Libelli de lite imper. et pont. I, 568 sqq.

f. 27ᵇ Epistola ad quendam virum illustrissimum admonitoria de vera consecratione, simonia, baptismo haereticorum et aliis rebus, tempore, ut videtur, Wiberti antipapae. Inc.: Cum rerum omnium mirabiliter operatrix.
f. 42 **S. Ambrosii** liber de vita et ordinatione episcoporum.

620 membr. 4⁰. s. XII. 118 fol.

Rituale in usum episcopi.

621 membr. 4⁰. s. XII. II et 87 fol. liber H. Schedelii.

Fol. 1 **Apuleius Madaurensis** de deo Socratis, f. 18 Eiusdem Ermutrismegiston. Cf. ed. Hildebr. II, p. 279—334. f. 46 Idem de Platone et eius dogmate. f. 79 Liber de mundo, sed non integer = p. 335—372, 2 ed. Hildebr.

623 4⁰. s. XVII. 21 fol.

Dialogus inter Catholicum et Lutheranum.

624 8⁰. s. XVI. 72 fol. ab H. Schedelio scriptus.

Calendaria ab a. 1502 usque ad a. 1510 incl. cum notis historicis. Cf. n. 533.

625 4⁰. a. 1459. I et 96 fol. Scripsit H. Schedel.

Andreae de Goerlitz Quaestiones in Aristotelis ethicorum libros X.

626 membr. 4⁰. s. XIII/XIV. 77 fol.

Chronica olim vocata st. Aegidii in Brunsvig, (edita a Leibnitio in Script. Brunsvic. III, 558 sqq.), nunc chronica minor auctore Minorita Erphordiensi, edita ab Holder-Egger in Mon. Germ. Script. XXIV, p. 172 sqq. In fine libri legitur: 'Anno domini 1452 wart diz püch eingepünden'.

627 membr. 4⁰. s. XV. 80 fol. ex bibliotheca Fuggeriana, scriptus in Italia pro Mathia Corvino rege, cuius arma unacum imaginibus spiritus sancti et Ptolemaei et pulchris ornamentis in fol. 1 videntur. Picturae adscribuntur Hieronymo de Cremona aut discipulo eius.

Aristeas ad Philocratem fratrem de LXX interpretibus per Mathiam Palmierum Pisanum e graeco in latinum versus.

628 membr. 4⁰. s. XIII. 39 fol. liber H. Schedelii.

Fol. 1 **Ciceronis** libri de amicitia fragmentum inde a § 69.
f. 5 **Martiani Minei Felicis Capellae** de nuptiis philologiae et Mercurii liber I et II.
f. 39 Commentarii alicuius pars sic incipiens: Sol enim diuersis utitur nominibus et pro uariis significationibus accipitur etc.

629 4⁰. s. XIII. 95 fol. liber H. Schedelii.

Fol. 1 **Beda Venerabilis** de situ Jerusalem et de locis sanctis. Cf. Tobler, Bibliographia, p. 10.

f. 19 Itinerarium (sive potius stationum recensio in itinere) ad Hierosolymam per Hungariam, Bulgariam, Macedoniam, Romaniam, Graeciam, Armeniam, Syriam.
f. 21ᵇ Visio Othmari presbyteri.
f. 23 De SS. trium Regum nominibus et habitu.
f. 24 Exempla. f. 28 Visio Fursei. Est vita st. Fursei ex Beda, cf. Acta SS. Boll. Jan. II, p. 54, § 3 sqq.
f. 38 De leone a S. Hieronymo curato.
f. 44 Visio Hieronymi presbyteri.
f. 46 S. Felicitatis et VII filiorum passio.
f. 50 **Honorii Augustodunensis** sigillum S. Mariae V. Praecedit discipulorum ad eum epistola. Ed. Migne, Patrolog. CLXXII, 495 sqq. f. 64 Eiusdem Hexameron. L. c. p. 253.
f. 71 De nativitate domini.
f. 75 Sermones. f. 81ᵇ Hymnus de st. Maria, inc. 'Nove lucis hodie', ex hoc codice edit. a Mone, Lat. Hymnen d. M. A., n. 358. f. 84 De locis sanctis. Inc.: 'Omnibus uolentibus uisitare sepulchrum'. Cf. Tobler p. 20.
f. 86 **Bedae** presb. relatio de sepulchro domini.
f. 88 **Bernardi** iubilus. Cf. Daniel Thes. hymn. I, 227.
f. 94ᵇ Quaedam beatitudines S. Effrem.

630 4⁰. s. XV. 124 fol. ab H. Schedelio scriptus.

Fol. 7 Oratio **Mattheoli Perusini** in Hartmanni (Schedel) Alemanni sacrae medicinae coronatione habita Pataujii a. 1466 XVII Apr. Ed. Forschungen XI, p. 368.
f. 10ᵇ Consilia medica Paduae collecta.

631 membr. miscell. 4⁰. s. XII—XIV. 148 fol. liber H. Schedelii.

Fol. 1 Commentarius in Abdiam prophetam. Inc.: 'Abdias quintus in ordine prophetarum, sermone simplex' etc.
f. 17 **Claudianus** de raptu Proserpinae cum multis glossis.
f. 34 **Johannis** (Sarisberiensis) Polycratici liber I.
f. 56 De libro Guilelmi Parisiensis episcopi qui est de collatione beneficiorum.
f. 58 **Vitruvii** de architectura liber decimus.
f. 59 **Apuleius** de deo Socratis.
f. 59 Exhortatio ad penitentiam per mag. J. rem (Johannem Remensem?). f. 60ᵇ Testamentum porci. Porcus uidens se occidendum a carnifice hore spacium peciit etc.
f. 60ᵇ **Quintilianus** de legalibus statibus. Sunt excerpta ex declamationibus.
f. 71ᵇ **Valerii** ad Rufinum epistola de mulieribus.
f. 72 Carmen longius sic incipiens: Sit deo gloria et benedictio. | Johanni pariter petro laurencio. | quos misit trinitas in hoc naufragio | ne me permitterent uti coniugio. | Uxorem ducere quondam uolueram | ut viam sequerer multorum miseram etc. Cf. Bibliothèque de l'école des chartes 1886, p. 93.

f. 73 Excerpta ex Paulo Diacono, ex Macrobii Saturnalibus, ex Auli Gellii N. A. lib. X et ex aliis.
f. 82 **Fabii Planciadis Fulgentii** mythologiarum libri III (saec. XII).
f. 133 Fabulae metamorphoseon Ovidii.
f. 145[b] Notitiae de Catone et de Statio, item f. 148 de Ovidio.
f. 146 In Aviani fabulas commentarius.

632 4°. s. XV. 187 fol. scripsit H. Schedel.

Fol. 1—75 Varia excerpta ex Lactantio, Virgilio, Terentio, Apuleio etc.
f. 76—87 Excerpta ex Ciceronis orationibus in Catilinam I. II. III. Quarta est integra.
f. 91—177 Excerpta ex Macrobio, Seneca et Timaeo.
f. 178[b] Epistola anonymi ad Franc. Foscari (a. 1442).
f. 180[b] Epitaphium Diogenis. Inc. 'Dic ciuis hic'.
f. 181 De ligno S. Crucis et de VII miraculis mundi.

In fine tria folia membr. saec. XIII (f. 185 sqq.) adiecta sunt, quibus continentur duodecim poetarum epitaphia in Ciceronem (v. Meyeri Anth. n. 397 sqq.) et alia epitaphia atque epigrammata (apud Meyerum n. 433—444, 421—432, 1614, 241, 876, 703, 730), et f. 187[b] carmen: 'Ecce stilo digna referam campestria ligna'. Cf. Zeitschr. f. d. Alterth. von Haupt V, 360.

633 = 923.

634 4°. s. XVI. 187 fol.

Johannis Fuetterer sermones dominicales, a. 1536—1544 Ambergae et in vicinia habiti. Scripti sunt ab auctore ipso.

635 4°. s. XV. 142 fol. Scripsit H. Schedel.

Collectanea medicinalia, maximam partem ex aggregatore Wilhelmi de Varignano.

636 4°. s. XV. 418 fol. liber H. Schedelii.

Collecta ex Avicenna et alia medica. Maximam partem scripsit H. Schedel.

637 4°. s. XV. 66 fol. scripsit H. Schedel.

Fol. 1 Physiognomia **Aristotelis.**
f. 12 Liber compilationis phisonomiae per **Petrum de Padua** (alias de Apono) a. 1295.

638 membr. 4°. s. XV. in Italia scriptus. 134 fol.

Jannotii Manetti Florentini orationes VII, quarum ultima Romae in coronatione Friderici III. imp. est habita. Insertum est f. 46 alia manu carmen Leonardi Dathi ad Alfonsum regem Aragonum.

639 membr. 4°. s. XIII. 75 fol.

Fol. 1 **Guidonis Fabae** Summa de epistolari dictamine. Cf. Quellen u. Erört. IX, 1. p. 177 sqq. f. 74 Friderici Imp.

ad Conradum filium (cf. Huillard-Bréholles VI, 245), Innocentii ad monasterium novum Herbipolense aliaeque aliorum epistolae. De formulis codicis Herbipolensibus et Bambergensibus cf. Rockinger, Abhandl. d. hist. Cl. d. k. b. Ak. d. W. XVIII, p. 346 sq.

640 4⁰ min. s. XV. 139 fol. scripsit H. Schedel.

Fol. 1—77. 128—138 **Hippocratis** libri de natura humana, de lege, de opere medicinae, de farmaciis, liber experimentorum, liber secretorum, de epidimiis, quarta particula regiminis acutorum, de natura fetus, de aere et aqua et regionibus, de situ regionum et dispositione anni temporum.

f. 78—127 **Galeni** liber secretorum, de voce, de fleubothomia.

641 8⁰. s. XV. 202 fol.

Fol. 1 **Ludovici Bruni** in adventum Maximiliani Burgundiae ducis carmen sapphicum et elegiacum.

f. 14 sqq. Sequuntur varia carmina, quorum plura publicavit Wattenbachius in Anzeiger f. Kunde d. deutschen Vorzeit, 1871, Nr. 8 et 9. f. 14 De forma vivendi. Inc. 'Christus nobis tradidit formam hanc vivendi'. f. 17 Inc. 'Si vis bonus fieri moribus et vita'. f. 18ᵇ De cella monachorum. Inc. 'Cella quies mentis'. f. 19 Inc. 'Surge miser quid dormitas'. f. 20ᵇ 'Si vis esse cenobita'. f. 21 De 4 generibus claustralium. f. 23ᵇ 'Fuit quidam monachus in phisica peritus'.

f. 24 Nota de tribus substantialibus religionis et quibusdam virtutibus secundum fratrem Hubertum ord. praed.

f. 28 Sententiae metricae, duabus germanicis intermixtis.

f. 33ᵇ De patientia habenda in capitulo Bernhardi. Inc. 'Tu qui digne uel indigne hic'.

f. 34 Carmen. Inc. 'Rex Salomon fecit templum'. Origo et processus peccati

f. 36 Carmen de gallo cum sacerdote comparando sic incipiens: 'Multi sunt presbyteri qui ignorant quare'. Cf. ad cod. 215 f. 59.

f. 37 Versus **hoyconis**. Sunt de signis numerorum et incip. 'Possidet a numero quingentos ordine recto'. Cf. cod. 251, f. 90.

f. 38 Alphabetorum formae. Alphab. graecum et hebraicum.

f. 43 Festa Judaeorum.

f. 45 'Bernhardus'. Inc. 'Cum sim modo moriturus'.

f. 47ᵇ Pro fidelibus defunctis. Inc. 'Ante tuam faciem'.

f. 48 Epitaphia (sunt specimina, ut videtur).

f. 50 De mulieribus carmen. Inc.

'Adam Sampsonem loth. david. regem salomonem
Femina decepit: quis modo tutus erit?'

f. 52 De eisdem. Inc. 'Mulier est confusio hominis, bestia insanabilis'.

f. 52^{b} Alphabetum de mulieribus. Inc. 'Audite alphabetica cantica sophistica | cuius sit amor et favor mulieris'.
f. 54 De nummis. f. 56^{b} De monachis.
f. 60 De XII apostolis. f. 60^{b} Articuli fidei secundum XII apostolos cum concordantiis XII prophetarum nec non interpretationes.
f. 61^{b} De evangelistis, metrice. Sequuntur complura carmina de Christo. f. 62 Christus ad peccatorem. De martirio crucifixi. Benedictiones in adventu, nativitate, epiphania domini. Versus aliquot de beata Virgine, de Sancto Spiritu, de S. Trinitate, de S. Augustino, de S. Christoffero.
f. 66 Interpretatio baculi S. Petri, qui est Treveris. Inc. 'Adtrahe per primum, medio rege, punge per imum'.
f. 67 Versus memoriales liturgici, velut De gloria in excelsis, de Collectis etc.
f. 69 Carmen germanicum. Inc. Kumm grimger tod vnd holle mich | Mich alten man des bitt ich dich. Cf. Germania XVII, 185 et Anzeiger des Germanischen Museums 1873, Nr. 5.
f. 71 Decem praecepta Sibillae. Inc. 'Das send die zechen gebot vnd ler | die Sibilla natürlich schribet her'.
f. 72 Carmen. Inc. 'Vil ding sind vast kläglich | vnd allen menschen gar schedlich'.
f. 74 Sententiae metricae.
f. 76^{b} Aenigmata Syfosii (**Symposii**). f. 81 **Ovidius** de ventre. Inc. Consilium celebrant humani corporis artus etc. Cf. Clm. 5594 f. 329.
f. 88 Dubia aliqua postea solvenda propter conscientiam.
f. 141 Modus devote offerendi sanctum venerabile.
f. 158 De perceptione corporis Christi.
f. 169 **Petri de Doliaco** (Alliaco?) tractatus quomodo te praeparare debeas ad missam celebrandam.
f. 177^{b} De confessione, de VII mortalibus peccatis, de X praeceptis et alia id genus.
f. 196 Prohibitiones sacramenti eucharistiae, collectae per **Joh. de Assia**, plebanum ecclesiae S. Galli in Praga.

642 membr. 4^{0}. s. XI. 45 fol. liber H. Schedelii.

Fol. 1 Evangelium Nicodemi.
f. 26 Visio Caroli III Imperatoris. Inc. 'In nomine dei, summi regis regum. Ego Karolus'. Cf. Mon. Germ. Script. X, 458.
f. 30^{b} Passio SS. XI milium virginum apud Coloniam requiescentium, de quibus in fine codicis Schedelius nonnulla adnotat. Est similis Passioni in A. S. Boll. Oct. IX, 157 sq. editae, sed brevior. Inc. 'Fuit tempore peruetusto in partibus brittanniae'.
f. 42^{b} Gradus consanguinitatis. f. 43^{b} Epistola de extinctione

luminum in ecclesia. Inc. 'De rebus nobis ignoratis auctoranter nos instruxistis'. Sequuntur abbreviationes. f. 44^b Aenigmata.

643 membr. 4⁰. s. XIV. 59 fol. *

Psalmi David, non vulgata, sed versio Hieronymi ex Hebraeo.

644 8⁰. s. XV. 363 fol. liber H. Schedelii.

Heinrici Zolner, alias Gurtler, Norimbergensis Collectanea de variis Sanctis, de animalium fructuumque nominibus, de rebus medicinalibus etc. cum ipsius vita ab Hartmanno Schedel praefixa.

645 8⁰. s. XV. 336 fol. scripsit H. Schedel.

Collectanea **Schedelii.** Insunt praeter alia in codice:
f. 1—23 Hippocratis aphorismi. f. 84—282 Natura (est thesaurus variarum rerum). Operationes. Areolae decorationis, apostematum et bothor (arab. = variolarum), ulcerum et vulnerum, instrumentorum iuncturarum, membrorum, febrium, venenorum, permutationum. a. 1446.
f. 283 Excerpta ex Alberti Magni libro de animalibus.

646 8⁰. a. 1487. I et 155 fol.

Fol. I Imago Christi depicta cum salutatione eius; fol. 1 Oratio de armis Christi et aliae precationes. f. 5 Calendarium.
f. 12 Breviarium.
f. 103 Martyrologium.

Scripsit codicem Udalricus Lutz de Meringen, frater ord. B. Mariae V. de monte Carmeli, de quo notae biographicae fol. 153 v.

647 8⁰. s. XV. 162 fol. scripsit H. Schedel.

Fol. 1 **Augustini de Tridento,** lectoris Perusii, ord. fr. herem. epistola astrologica ad Nicolaum episc. Tridentinum de anno 1340.
f. 23 **Johannis de Glogovia** accidentia stellarum a. 1476.
f. 44 Eiusdem iudicium eclipsis lunaris a. 1476 (10. Mart.).
f. 51 Stellarum fata a. 1477 per Nicolaum de Polonia.
f. 72 Almanack coniunctionum et oppositionum solis et lunae de anno 1477.
f. 74 Johannis Laet de Borchloen (Los castri) iudicia a. 1477 et 1478.
f. 102 Sequuntur iudicia de anno 1478, et quidem f. 102 Magistri Jeorii de Russia, f. 128 Hieronymi de Manfredis, f. 144 Aurelii C., f. 154 Bapt. Piasii Cremonensis.

648 8⁰. s. XV. 196 fol. scripsit H. Schedel.

Fol. 1—32 Judicia de a. 1479 et quidem f. 1 Johannis de Laet, f. 19 Marci Scribanarii.
f. 33—134 Judicia de a. 1480. Sunt autem f. 33 Pauli de Midelburgo Zelandiae, f. 76 Mathiae Fibulatoris de

Hertzogaurach, f. 97 Marci Scribanarii, f. 115 Johannis de Glogovia.
f. 135 sqq. Judicia de a. 1481 et quidem f. 135 Wenceslai Fabri de Budweys, f. 159 Hieronymi de Manfredis, f. 175 Juliani de Blanchis.

650 8°. s. XV. 358 fol. liber H. Schedelii.

Fol. 1 **Petri Luder** ad Fridericum principem Rheni adhortatio metrica a. 1460.
f. 2ᵇ **Bapt. Domisii** carmina V.
f. 7 **Franc. Petrarchae** (immo Benvenuti de Rambaldis) Augustalis. Cf. ad cod. n. 313 f. 42.
f. 27 **Alberti de Eyb** laudatio feminarum clarissimarum (ex Eystet 1459). f. 43 Eiusdem in lenam invectiva. f. 47ᵇ Idem ad Georgium de Absberg: an uxor viro sapienti sit ducenda.
f. 73 **M. Tullii Ciceronis** de officiis libri III. f. 162 Eiusdem de senectute liber.
f. 197 **Ugolini** Parmensis Philogenia, comoedia.
f. 227 **Karoli Aretini** Philodoxios, comoedia.
f. 247 Comoedia de falso hypocrita, acta studiis Papiensibus a. 1437. Excerpta eius sunt impressa in Alberti de Eyb 'Margarita poetica' part. II cap. 16.
f. 259 **Hippolytae Mariae** vicecomitis Mediol. oratio habita coram Pio II a. 1459, cum huius responsiva.
f. 260 **Pii II** epistolae ad Georgium Bohemiae regem et ad episcopum Wratislaviensem.
f. 262 Comoedia eadem, quae est in cod. n. 369 f. 104.
f. 267 Fabula de Arono sene, Marina eius uxore et Dagiano iuvene prudente, descripta e cod. 120 bibl. urbis Augustae Vindelicorum, ubi A. de Eyb eam scripsit. Edita est in Vierteljahrsschrift f. Literaturgeschichte III (1890), p. 2—12.
f. 277—331 Excerpta varia ex Petrarca, Hieronymo, Cicerone, Josepho, aliis.
f. 332 **Galeotti Marcii** Narniensis carmina complura.
f. 356 Laus mulieris. Carmen incipit: 'O preciosa nimis vultu fecunda sereno'.
f. 358 Epitaphium Johannis de Eych episcopi Eystetensis in ecclesia st. Walpurgis Eystet.

Scripsit codicem H. Schedel praeter folia 7—72 et 332—355.

651 8°. s. XVI. 11 fol.

Exempla scribendi (sunt precationes) in usum Ferdinandi Bav. Ducis.

653 8°. s. XV. 141 fol. (membr. f. 135—141). liber H. Schedelii.

Fol. 1 Varia morborum remedia, inter quae f. 29 de nobili herba seu radice S. Petri (Madelger) qualiter sit coligenda (germanice). f. 31 Ad faciendum saphirum et alia recepta.

f. 33 De antimonio quod dicitur leo viridis.
